Salue clariss. et opt. Compater
a tuo Hippolyto a Collibus

Irasceris sat scio quod silentio non iuste usus sim, et tamdiu in tuis, quasi malum nomen, expensi tabulis careā. Sed quid agas, mi Madere; cum insigni in litteris scribendis procrastinatore tibi res est: Caue aut silentium hoc contemtui adscribas, quin potius amoris fiducia, vel si magis negotiis publicis. Non si non scribo, propterea te amare et colere desino. nullum habes, dicam enim, qui te mi Compater, majoris faciat tuo Hippolyto. Nobili illi a te mihi comendato, omnia tui caussa obtuli: is nondum mea opera indiguit. Nostin Valentinū nostrū Cherlerū? is tibi filium suum eiusdem nominis comendat, idem ego quoque facio. Cum patre Iuuate illum quaeso si potestis, immo quia potestis. sed et collegis, Perendie crastini fauente dno duos, Westphalū alterum, alterum Aquisgranensem, infulis doctura ornabo; praesentib. nouem Imperii Comitib. Scito quatuor in agro Basiliensi praedia, (venalia ~~pr~~ Nobilia) esse; et quidem vili ut aiunt pretio; inter ea est Castellū Hattstattii Binningense. Vale amice opt. et commatri, meo uxorisque meae nomine plurimam salutem impertii, Sed et puras illas animas Iunium, Grauium, Smetium, Wittekindū patrem neū alterum, Agricolam, Pytsophaeū, et Stenium; a me officiosé Saluere iube. Amare liceat, si potiri non licet. Sed heus tu. Scis ne Helium ex professore Gymnasiarcha, Stupanū, medicinae professores factos? Restaurata Academia nostra, professore organi et oratore; Iterum salue et me ama. D. Bas. Kal. Febr.

XIC
1580.

T. sine Conditione
J. à C.

S. D.

Theophilo Madero
Medicinæ doctori
Clariſsimo
Organiq Arist. pro-
feſsori opt.
dno et amico vero
g Heitelberg